

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 2653

**Auteur(s)** : Guillaume, Feillet (seigneur)

**Bénéficiaire(s)** : Tours, Saint-Martin de Marmoutier (abbaye)

**Genre d'acte** : charte

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : 1253, mars

**Action juridique** : règlement conflit

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Accord entre Guillaume, seigneur de Feillet, et le couvent de Marmoutier, sur le différend soulevé entre eux, relativement à la présence de deux religieux dans le prieuré de Boissi et aux dîmes des noales ; — ledit seigneur renonce à exiger l'envoi des deux religieux et leur abandonne la dîme des noales présentes et futures, avec toute franchise pour acquérir.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Barret Philibert (Abbé), *Cartulaire de Marmoutier pour le Perche*, Mortagne-au-Perche, Meaux (Documents sur la province du Perche ; 3e série, 2), 1894, n° 158, p. 160-161.

Texte établi d'après a

Guilermus, dominus Folieti, miles, salutem in Domino.

Noverit universitas vestra quod cum contentio verteretur inter me, ex una parte, et religiosos viros abbatem et conventum Majoris Monasterii, ex altera, super eo videlicet quod ego proponebam contra ipsos quod ipsi, in prioratu de Boisseio, Carnotensis diocesis, sito in feodo meo, tenebantur ponere et habere duos monachos, qui ibidem Deo deservirent pro animabus predecessorum meorum, qui dictum prioratum fundaverunt, ut dicebam ; ad quod non tenebantur dicti abbas et conventus, ut dicebant, rationes multimodas allegando ; — moveretur insuper contencio inter me, ex una parte, et dictos abbatem et conventum, ex altera, super decimis quorumdam novalium, sitorum in parochia de Boisseio, in feodo et dominio meo, quas decimas dicebant dicti abbas et conventus ad ipsos pertinere, quod penitus denegabam ; tandem post multas altercationes, de bonorum virorum consilio, compositum fuit inter me et prefatos abbatem et conventum, ita quod ego promisi, pro me et heredibus meis, quod prefatos abbatem et conventum de cetero non compellam nec compelli faciam ad hoc quod ipsi teneant seu habeant monachos sive monachum in dicto prioratu. Immo ego volui et concessi quod dicti abbas et conventus, de rebus et redditibus dicti prioratus et de ejus prioratus pertinentiis, cum monachis, sive sine monachis, disponant pro sue arbitrio voluntatis, mihi et meis heredibus super hiis perpetuum silentium imponendo.

Preterea ego volui et concessi quod dicti abbas et conventus decimas omnium novalium que facte sunt et que imposterum fient, in dicta parochia de Boisseio, in feodo et in dominio meo, percipiant et habeant de cetero libere et pacifice, sine contradictione aliqua, a me aut heredibus meis imposterum opponenda. Volui insuper et concessi et predictis abbati et conventui plenariam potestatem contuli quod ipsi licite possint acquirere, quoquomodo, in feodo meo, in terris, pratis, vineis, nemoribus, burgenciis, censivis, francis, feodis et in aliis quibuscumque rebus usque ad valorem centum solidorum annui redditus, et quod dicti abbas et conventus ea que adquisiverint teneant et possideant, absque exactione qualibet seculari, sicut Ecclesia consuevit tenere et possidere, contradictione aliqua a me aut heredibus meis imposterum nullatenus opponenda. Recompensatione siquidem omnium predictorum dicti

abbas et conventus viginti libras Turonenses mihi dederunt et in pecunia numerata persolverunt. Ego vero, tactis sacrosanctis Evangeliis, juravi quod contra predictam compositionem, aliquo jure seu juris beneficio, non veniam nec venire modo aliquo attemptabo, nec bona dictorum abbatis conventus mobilia seu immobilia aliquatenus usurpabo. Et ad hec omnia et singula promissa tenenda et fideliter observanda, me et heredes meos imperpetuum obligavi. In cujus rei testimonium dictis abbati et conventui dedi presentes litteras sigilli mei munimine confirmatas. Actum anno gratie M° CC°, quinquagesimo secundo, mense martio.